PLATO. ARISTOTELES

Entstehungsort unbestimmt (Tirol?), 3. Viertel 15. Jh. Seite 248v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35041
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



pridem expositi loci nobis sunt. Postea vero cum iam et qualia
sint et quanta sint pate factum est in affectus ad auditor
impellendus est qui sunt commiseratio indignatio ira odium
invidia emulatio contentio. Quorum etiam loci iam dicti sunt.
Quare illud iam restat ut predicta in memoriam reducantur
quod sic facere convenit ~~facere~~ sicut in exordiis non recte pre-
cipiunt faciendum. Nam ut facilia intellectu sint sepius idem
dicere iubent. Verum ibi quidem res sumatim dicenda
ne auditores de quo sit iudicium ignorent. Hic vero ea quibus
demonstratum est per capita repetenda. Initium autem recep-
tionis quam persoluit iam quod pollicitus est. Quare et que
dicenda erant et de quo dicendum repetuntur ante
per collationem eorum que ab aduersario dicta sunt. Confer-
untur igitur aut que de eodem ambo aut que non oppo-
sita dixerunt sed hic quidem hec de hoc ego vero hoc
et propter hec aut per illusionem ut puta et hec quidem
hic ego vero hec atque hec et sic quid iste nunc faceret
si hec atque hec demonstrasset et non illa aut per interro-
gationem quid non demonstratum est et econtra quod
ab isto demonstratum est aut igitur sic aut per collationem
aut ordine quo dicta sunt prius tua et rursum si ita
vis que aduersarii dixerunt seorsum. Fini vero dissoluta
maxime atque per articulum oratio ydonea est ut per
oratio non sit. Dixi ~~audixistis hab~~ audistis habetis
iudicate.

Finis rethorice aristotilis.